



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

Circvmcisio Domini. 1. Ianuarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

I A N V A R I V S.

CIRCVMCISIO DOMINI.

I. Ianuarii.

O ut ego te exosculor diem candidissimum ! ô fidus ! ô I E S V Nomen ! Ite jam astrorum arbitri, dicite sanè fatalem hanc mihi stellam esse, horoscopum meum esse, ab hâc vitam meam, vitæ studia, mortem, omnia dependere. Rectè. Quidquid igitur agam, IESV auspice agam. Vigilabo ? in oculis IESVS erit. Dormiam ? IESVM somniabo. Ambulabo ? comes IESVS ibit. Sedebo ? latus claudet IESVS. Studebo ? IESVS erudiet. Scribam ? calamum cum manu IESVS ducet, & IESVS IESVM scribet. Orabo ? verba IESVS formabit, animabit IESVS. Fesus ero ? recreabit IESVS. Esuriam ? fictiam ? IESVS pascet, ille potabit. Ægrotabo ? Amor aderit medicus, IESVS. Moriar ? IESV immoriar meo. IESVS supremis labris natabit. IESVS oculos claudet. IESV sinus mihi tumultus, tumuli inscriptio IESV nomen erit. Sed, heu mihi ! mi IESV ! Amor meus ! quid video ? quod si vitæ tuæ aurora tam multo cruore jam rubet ; quàm largos imbres sanguinis in sero vitæ vespere dabis, ô Sol meus ! Heu iterum mihi ! ô

MA-

MARIA! ô Cynthia mea! an palles? dabis eheu! etiam tu hodie pluvias. Et ecce imbres lacrimarum ex utroque oculorum cælo ruentes. Time peccans adolescentia, tute hanc tempestatē dedisti. Cur enim hodie jam ad sanguinē iretur, nisi sceleribus tu quoque fores obnoxia. Ecce die octavo jam sævit culter tuus verè saxeus! Sed disce ad infanda scelera, disce à cultro tuo erubescere. Disce vulnera agnoscere tua. Si nescis, ibi vulnus est, ubi emplastrū est.

S. BASILIVS MAGNVS.

1. Ianuarii.

MAGNUM esse BASILIVM ad ardētis columnæ facē D. Ephrem vidit. Magnum deinde ostendit *Christus* ipse, dum sacris operanti adesse spectabilis, cum sancto Duodecimviroꝝ celestium senatu voluit. Sed & talem Hebræus nonnemo credidit, cui profano adhuc, sacræ tamen mensæ accumbenti, cū minimo in orbe magnum *Virginis Fritium* è manu suâ propinasset, manus & ipse dedit. Magnum demum senserunt è maximis tyrannis duo. Horum alter *Julianus* (is qui turpe sibi apostata nomen peperit) orante contra se BASILIO, sententiam ferente Deiparâ *Virgine*, exequente D. Mercurio, orbi pœnas perfidiæ, quas meruit, dedit. Non felicior alter *Valens*, exilium Divo nostro

B

stro